Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2879

Quelle:
Copyright:

DCCXCVI.

213 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 37. f. nitide perſcriptus et rubricis diſtinctus hac inſcriptione gaudet: *Incipit theſaurus pontificum ſiue ſacerdotum. Rubrica. Quemadmodum conſtantinus epiſcopus cypri dicit in conſilio Meldenſi non oportet nos qui epiſcopi ſumus indigere doctrina* &c. Cum totus Tractatus in *Rubricas*, more antiquorum Commentatorum, diviſus ſit, prima haec *Rubrica* Praefationis vice ad quandam *Reuerendiſſimam Paternitatem* fungitur. Dicitur vero in ea: *Sumendo de rationali diuinorum officiorum Guilelmi durandi que huic operi congruebant hunc librum compilaui ſuper pontificali iuxta ſingulas Rubricas in pontificali contentas aliquibus etiam Rubricis in hoc opere additis propter diſtinctiones ſacramentorum. — Quem librum Theſaurum pontificum appellaui quia in eo operti ſunt theſauri diuinorum eloquiorum. et regule ſacrorum canonum ſuper quibus fundate ſunt forme libri pontificalis. Sumant itaque R. p. et domini mei Epiſcopi hunc theſaurum et apponant cor ſuum* &c. *In prima parte tractatur de collatione eccleſiaſticorum ordinum et dignitatum* (ſcil. de coronat. Imperat. et Imperatric.) *In ſecunda de conſecratione eccleſiarum. altarium. Cimiteriorum. et ſacrorum ornamentorum. In tertia de Canonizatione ſanctorum. Celebratione feſtiuitatum. letaniarum. nuptiarum. et Ieiuniorum. et ordinatione offitii quinte et ſexte ferie. ac ſabbati ſacre ebdomade. In quarta de celebratione conciliorum et ratione diuinorum officiorum. et ordine officij diurni et nocturni. In quinta de adminiſtratione neceſſariorum ſacramentorum eccleſiaſticorum.* Singulis *partibus* praefixus eſt *Rubricarum* elenchus. Adhaerent in calce: *Ordo, qui ſeruatur in celebratione concilij generalis per archiepiſcopum vel epiſcopum. Formae Abſolutionis. Orationes quando Papa equitat, antequam exit de camera. Orationes in conſecrationibus ſacrorum Agnus. Modus qui communiter ſeruari conſueuit circa canonizationem ſanctorum.* Quae *fol.* 35. leguntur: *Sanctiſſimus dominus noſter papa Nicolaus quintus conſecrauit ſacros Agnus dei in die iouis ſancta in alma vrbe. Pontificatus ſui Anno quarto* (1450) *et hoc fecit de gratia ſpeciali et propter ſanctum annum Iubilei*; in opinionem adducere poſſent, Theſaurum noſtrum poſt hunc annum, ſed vivo etiamnum *Nicolao* conſcriptum fuiſſe; ſed, cum Autor *fol.* 8. celebrem illum Iuris canonici interpretem *Johannem Andreae* an. 1348. *Bononiae* defunctum dominum ſuum appellet, manifeſtum videtur, *Notandum* illud de *Nicolao* V. ſerius adjectum fuiſſe. Porro cum inter notos aevi illius ICtos nemo majori jure *Johannem Andreae* dominum ſuum appellare potuerit, ac *Johannes Calderinus*, quem adoptaverat filium, et *Paulus Leazarus*, alterutri fortaſſe tribuendus foret Tractatus